

moda impensos conatus, seu amorem Patriae hujus extra quam se aliam non noscere paulo ante ad communem plausum nostrum enunciavit, consideremus, absque ulla haesitatione agnoscere nos debere confidemur, Excellentiam Vestram inter celeberrimos quosvis Regnorum horum Banos et nunc principem tenere locum, et deinceps eo semper loco cum magna nominis sui gloria et sincero popularium suorum amore censendam. Ideo Excellentiam Vestram in hoc excelso Banali subsellio porro quoque cum exultatione suspicimus, gratulamurque etiam et ad communem Regnorum horum gloriam referimus, quod Sua Majestas Sacratissima heroicum Excellentiae Vestrae pectus, in quo tot eximia laudis et prosperitatis nostrae pignora cubant, Magna hac Cruce Insignis Ordinis Leopoldi Imperatoris in publicum altissimae Complacentiae testimonium clementer exornare dignata sit.

Annunciare nobis porro dignabatur Excellentia Vestra, ex Relatione circa decursum praeteritae Regni Hungariae Diaetae per Dominos Regni hujus Ablegatos praestanda, nos cognituros esse gravissimos illos insultus, quibus vetusta Municipii nostri Statuta, quae quilibet nostrum, cui Amor Patriae suae cordi est, pro Sanctis et inviolabilibus reputare debet, impetebantur; una vero nos intellegendos, quod jam antea laetis nunciis accepimus, omnia illa pericula denati Augustissimi Imperatoris et Regis nostri Francisci, tum vero etiam in sapientissimo Patris Systemate nunc feliciter regnantis Ferdinandi clementissima protectione; item dignissimorum Ablegatorum Nostrorum sapientia, fortitudine et constantia; nec non praesidio quod in praestantissimis Ecclesiae Hungaricae Praesulibus, et Summis Regni Hungariae Saecularibus Dignitariis nancisci nobis licuit, feliciter propulsata et praetiosam Patrum nostrorum haereditatem nobis adusque in primaeva integritate conservatam esse.

Quo nomine quidem et sacros denati Augustissimi Domini Nostri Magnaeque Populorum suorum Patris cineris pie veneramur et Suae Sacratissimae Majestati, Clementissimo Domino nostro Ferdinando ad priscam semperque intemeratam fidem et homagiale subjectionem nostram novo nos gratitudinis argumento obstrictos profiteamur.

Quod attinet dignissimos Regni hujus Ablegatos in Palestra illius contentione summa cum laude pro rebus nostris versatos; eos nunc in corona nostra cum dulcissima muneris sui egregie expleti satisfactione praesentes fraternaliter amplectimur cupimusque, ut nomina illorum Cordibus Nostris alioquin impressa, Actis etiam publicis inserta, ad gratam posterorum nostrorum memoriam transmittantur.

Illud demum, quod dignissimi Hungariae Antistites et Dignitarii, quos Excellentia Vestra nominare dignabatur, alique complures eximii Proceres optimam causam nostram aequanimitate, Zelo et sapientia sua defenderint et salvam servaverint, tam ingenti in Patriam nostram merito factum est; ut ad piam nationis nostrae memoriam omnibus illis praesidiis conservari mereretur, quibus illustres quilibet eventus oblivioni mortalium eripi solent temporumque edacitati. Interim nos omnibus Materialibus Colossis perennius, Ipsisque fortasse carius monumentum erigendum existimamus, si constituerimus, ut praeclara virorum horum memoria publicis Tabulariis nostris inferatur; quo sanctum ejus recolendae officium instar haereditariae in eos observantiae a Patribus ad Filios continuo devolvatur, ut et illi intelligant suam istam profusam in nos benevolentiam non